



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

CLXVIII. Die von Stegelitz zu Stolzenburg und Temmen verkaufen dem
Kaland zu Prenzlau Hebungen aus Bertekow, am 25. Januar 1385.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

CLXVIII. Die von Stegelitz zu Stolzenburg und Temmen verlaufen dem Kaland zu Prenzlau
Gebungen aus Bertekow, am 25. Januar 1385.

In nomine domini Amen. Coram vniuersis Christi fidelibus, ad quorum noticiam peruenerit presens scriptum, Nos nicolaus et wernerus, patrum, dicti de Stegelitze, famuli, residentes in castro Stoltemborch, et Henningus de Stegelitze, residens in Temmen, principales infra scriptorum, Recognoscimus lucide protestando, quod matura deliberacione et sano consilio prehabitis, cum consensu amicorum nostrorum, vendidimus honorabilibus et discretis viris Dominis et fratribus kalendarum in Primzlaw presbiteris vnam curiam in villa et in campo Bertekow cum quatuor mansis, quos nunc colit et inhabitat Tidekinus Strelemann, cum omni vtilitate et omni fructu, cum omni libertate et omni iure Superiore et inferiore quocunque nomine censeantur nuncupata, Quemadmodum nos dictam curiam cum ipsis mansis hactenus habuimus: In hunc modum prout inferius scriptum apparebit Ita quod dicti domini Kalendarum singulis annis de quolibet manso ad festum sancte Walpurgis subleuare debebunt vnum talentum Brandenburgensium denariorum et super festum sancti Martini eciam vnum talentum brandenbogensium denariorum nec non quatuor modios frumentorum, pro quibus bonis dicti Domini Kalendarum nobis ad placitum bene perfoluerunt quadraginta marcas argenti Brandenburgensis et ponderis. Hec vendicio debet stare a Festo sancte Walpurgis proxime venturo per tres annos integros continue sequentes et medio tempore nos debemus eis ordinare sub nostris laboribus et expensis proprietatem bonorum predictorum a domino nostro marchione brandenbogensi et statim postquam nos eis literam propriacionis predictorum bonorum domini nostri marchionis presentauimus ipsis placentem: post hoc ad vnum quartale anni dicti domini Kalendarum nobis triginta et duas marcas argenti Brandenburgensis et ponderis solvere tenebuntur intra muros dicte ciuitatis Prinzflaw. Et si predicta bona in hys tribus annis deuastarentur, quod Deus auertat, in toto vel in parte, quod occasione nostri vel amicorum nostrorum eueniret, ex tunc eos introducere debebimus et tenemur ad alia certa bona nostra vbi redditus suos certissime valeant subleuare. Et si nos in tribus annis supradictis eis proprietatem bonorum predictorum a domino nostro marchione nequiremus ordinare, Ex tunc debebimus, volumus et tenemur ipsis perfoluere vice uersa quadraginta marcas argenti Brandenburgensis et ponderis intra muros ciuitatis Prenzflow vna vice in prompto argento et sine omni alia hana Super hunc de terminatum diem sancte Walpurgis quoties anni supradicti finientur. Omnes et singulos articulos premissos promittimus nos nicolaus et wernerus et henningus predicti nomine nostri et heredum nostrorum presencium et futurorum vna cum amicis et fideiussoribus nostris infrascriptis videlicet Sabello Scadeback, Ebelingo de arnym, Ricberto de holtzendorp, Tidekino de Sperrenwolde in Sconremarke, Ottone de holtzendorp filio Gerekini, nec non ottone de holtzendorp filio Tammen. Premissa omnia et singula nos fideiussores ante dicti consentimus et promittimus cum coniuncta manu ipsis Dominis Kalendarum presentibus et futuris in bona fide firmiter et inuolabiliter seruare. In fidem et testimonium omnium premissorum nos omnes et singuli predicti presentem literam desuper confectam sigillorum nostrorum pendencium munimine scienter et voluntarie fecimus roborari. Datum Prinzflaw, Anno Domini M^o CCC^o XXX^o quinto, ipso die Conuersionis Sancti Pauli.

Nach Beckmann's Abschrift des Originals.